affectu inordinato perturbata, nunquam atro erroris fumo ob-
scurata, nil in ea erat incompositum quod corrigi, nil immun-
dum, quod lauari, nil sordidum, quod detergi posset, omnia
ordinatissima erant, carnem spiritus regebat, caro spiritui ob-
temperabat, bonum quoque quod volebat, id agebat, et malum quod
nolebat, id omittebat. Porro spes nimia vel opum, vel
honorum, mentem illius efferre non potuit, nam opes quas
petijt paupertas erant, honores quos concupiuit, famulatus
erant. Desperatio quid eam occupare potuit? cum nil unquam
perdiderit, quod perditum non vellet, nil unquam expetiuerit,
quod optanti denegandum sciret? Laetitia vero ita exhilara-
bat illam, ut hilaris semper cum oportebat, appareret, non
ruga caperabat frontem, non severitas exasperabat, non
infortunium evertebat, non adversa extinguebant. Laeta-
batur ergo semper, ita tamen laetabatur ut tristitiae causas nun-
quam non ruminaret, ita vero tristitiae causas versabat,
ut et ab illicita laetitiae effusione temperaret, et tristitiae
succumberet nunquam. Fuit itaque pulcherrima virgo
sororum suarum domina, fuit vera inter eas concordia, non
certe tot affectionum agitabatur procellis ut nos, non tot
flexuosis cupiditatum verticibus absorbebatur ut nos, non
aestuantis, et ferventis pelagi (animam nostram puto) aestibus
corrumpebatur ut nos, sed erat mare tranquillum, pacatum,
mare suauissimum, omnis turbinis, amaritudinisque expers,
et quod consequitur erat mare pulcherrimum. Restat,